

Philippi Wilhelmi piissimae memoriae, patris patriae omnium virtutum complemento decoratissimi, ob ingentia merita in omne aevum depraedicandi dei cultus Romano ritu per aliquos annos in ecclesia monasterii reffloruisse, Gallorum incendiaria manu una cum ecclesia, tota civitate et arce funditus eversus, exustus, et in cinerem redactus est (forte ut hoc ex cinere pulchrum crystallum conflaretur). Tandem in eo gratia supremi rerum architecti, verbi dei incarnati, principis pacis salvatoris nostri Jesu Christi eiusque virginis matris patrocinio, sedente in cathedra Petri sanctissimo patre Clemente XI., regente hujus dioeceseos ordinario reverendissimo et serenissimo principe ac domino d. Ludovico Antonio, administratore supremi magisterii in Borussia, Theutonici ordinis per Germaniam et Italiam magno magistro, episcopo Wormatiensi, comite Palatino Rheni, Bavariae, Juliaci, Cliviae et Montium duce, comite Veldentiae, Sponheimii etc. etc. principe ac domino nostro clementissimo regnante serenissimo potentissimo, et invictissimo principe ac domino domino Josepho, hujus nominis primo, Romanorum imperatore semper augusto, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae rege etc. etc. sub auspiciis serenissimi ac potentissimi principis ac domini d. Joannis Wilhelmi comitis Palatini ad Rhenum, sacri Romani imperii archihesaurarii, et electoris, ducis Bavariae, Juliae Cliviae, et Montium, comitis Veldentiae, Sponheimii, Marchae, Ravenspurgi et Moersiae, dynastae in Ravenstein etc. principis ac domini nostri clementissimi principis, pii, felicitis, sapientis, inclyti, illustrissimus dominus d. Franciscus Pleicardus, liber baro Ulner de Dieburg, serenissimi principis electoris Palatini camerarius, consiliarius regiminis et iudicii aulici projudex etc. etc. ex speciali electoralis suae serenitatis mandato in ipso die festo s. Joannis baptistae praecursoris domini, ad constructionem novae domus religiosae hunc primum benedicente admodum reverendo domino d. Arnoldo Thielen, can. dec. et ad s. spiritum decano LoCaVII LapIDeM*, qui olim a foete haereseos reprobatus et contaminatus fuit, jam nunc factus est in caput anguli domino auxiliante, numine daturus incrementum, ut propediem novum monasterium ex gallicis bustis ac cineribus novus quasi Phoenix ad majorem dei, deiparaeque virginis gloriam, ecclesia catholica splendorem, domus electoralis propagationem et conservationem, animarum fidelium salutem, religionis orthodoxae exaltationem, civitates decorum renascatur ac perennet, utque

* LCVILIDM ip 1707.

omnis populus mirabilia domini videat, enarret et laudet Amen*.

Breve Pius VI. an den Kurfürsten Karl Theodor, 14. Februar 1787.

Pius, pp. VI. Dilectissime in Christo fili noster! salutem et apostolicam benedictionem. Literis tuis, die X. Januarii ad nos datis, exposuisti nobis. dilectissime in Christo fili noster. Fridericum I. electorem Palatinum praedecessorem tuum anno MCCCCLXXVIII** instituisse in suburbio Heidelbergensi conventum pro fratribus ordinis s. Dominici, eidemque large tribuisse aedes, fundos et redditus, eos porro Fridericum II. anno MDLI. sibi applicasse ex consensu summi pontificis Juli III.*** uno alteroque abolito coenobio partim pro condendo studiorum collegio, partim pro ampliando principali sacello, retentis tamen adhuc in illo conventu paucis religiosis; eam vero mutationem non diu perstitisse; subsecuta enim in Germania sacrorum vicissitudine illorum honorum partem in usum Protestantium conversam, partem vero camerae electorali incorporatam: cum deinde extincta esset domus Palatina ducum Simmerensium, qui Protestantes erant, successissentque in electoratu Catholici duces Neoburgici, revocatum in dictum conventum fuisse fratrum Praedicatorum convenientem numerum, ipsisque congruos redditus assignatos, ex sola, ut inquis, principis munificentia, nulla habita ratione pristinae Friderici I. foundationis iam abolitae, facto ipso longi temporis possessione confirmato. His expositis habere te in votis, scribis, dilectissime in Christo, fili noster, valdeque postulas a nobis, ut per apostolicum dispensationem generatim qualiacumque bona ecclesiastica, fundationes, jura et redditus in prioribus seculis a praedecessoribus in electoratu Protestantibus occupata, vel unquam saecularisata, et aerario usque huc inserta in gratiam tui, tuorumque haeredum ac successorum dispensare eo propensius velimus, quod manifestum sit, maximos

* Prodit haec inscriptio Heidelbergae typis Joannis Majeri, typographi aulico-academici, sub hoc rubro: „Litterae monumentales primi angularis lapidis monasterii ordinis fratrum Praedicatorum in Heidelbergae locati in die festo s. Joannis baptistae anno domini MDCCVII.“

** Friderich I. starb am 12. December 1476 und stiftete in diesem Jahre das Kloster. Die falsche Jahreszahl 1478 ist wahr scheinlich so in dieses Breve gekommen, daß der Dominicaner-General Pius VI. das Transumpt von 1478 vorlegte.

*** Dieses Breve Julius III. steht bei Würdwein monast. Wormat. tom. III. fol. 122—124. Es ist vom 25. April 1550 datirt. Specieff ist darin das Predigerkloster nicht genannt.